

mam causam pro virili defendere ne prætermittas : nec modo rei dignitate , quæ summa est , sed tangaris etiam oportet utilitate . Multa enim habes a Deipara Virgine animi grati erga Te , ac beneficiorum memoris argumenta . Mulier illa nimurum amicta sole , sub cuius pedibus luna est , perfudit lumine beatissimo Majestatem Tuam ; hoc est Te , Regiamque familiam bonis omnibus cumulavit . Illius ope , ac patrocinio perfectum est , ut firmamentum Augustissimi Generis filios multos susciperes , Tuique simillimos educares . Illa hoc Tibi quotidie præstat , ut florentissima Regna , gentesque subiectas diuturna pace , justitia , pietate foveas . Eademque præstabit ( quod ut ita sit , vehementer opto ) ut pro hac Tua Conceptionis ornandæ voluntate quam diutissime Hispania Te vivente perfruatur ; Tuique Nominis gloriam una cum sanguine , ac Posteriorum imperio ad immortalitatem producas .

AD